

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8275

Auteur(s) : Guillaume de Montgoubert, Champs (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1256

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Montgoubert, seigneur de Champs, pour mettre fin à certaines contestations nées entre lui et l'abbaye de la Trappe au sujet de terres à elle aumônées par feu Girard d'Apres, chevalier, à Barres, renonce à tous ses droits sur ces terres, moyennant une indemnité de vingt livres tournois et une rente annuelle de vingt sous.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, S. « De nemoribus », n° XXIX, p. 471-473.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Guillelmus de Monte Gouberti, dominus de Campis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum contentio esset inter me, ex una parte, et abbatem et conventum de Trappa, cisterciensis ordinis, ex altera, super eo quod dicebam me habere jus et districtum in elemosina ipsorum quam habent, apud Barras, de dono defuncti Girardi de Asperis, militis, tam super feodum quam super dominicam eorumdem et super homines suos ibidem manentes, tandem, de bonorum virorum consilio, pacificata est in hunc modum, quod ego quitavi penitus et confirmavi dictis abbati et conventui in perpetuum totum jus et districtum quod habebam et habere poteram, quoquo modo, in dicto feodo et dominico et hominibus dictorum monachorum de Barris ibidem manentibus, ita quod nec ego nec heredes mei in omnibus predictis feodo, dominico et hominibus de Barris aliquid juris, domini et districti retinemus, set totum illud feodum, dominium et homines tenemur dictis abbati et conventui et dictis hominibus erga dominum de Monte Gouberti et ejus heredes omnimodis deservire et contra ipsos defendere, garantire ac penitus in perpetuum liberare. Et pro hac quitatione, confirmatione et defensione, dicti abbas et conventus dederunt michi viginti libras turonensium in pecunia numerata, et insuper dederunt michi et meis heredibus viginti solidos turonensium annui et perpetui redditus, quos assignaverunt michi capiendos annuatim in locis et terminis subnotatis, videlicet: super tenementum Garini Tupe, decem solidos, in festo sancti Remigii recipiendos, quos elemosinaverat eisdem defunctus Matheus de Monte Gouberti, pater meus; et in tenemento quod tenuit de illis defunctus Robertus Lepaigne de Maris, septem solidos, sumendos in festo sancti Johannis Baptiste, cum omni jure et districtu justitie quod ibidem habebant, et tres solidos quos emerunt a Guillelmo de Valle de Campis, cum omni justitia quam facere possent dicti monachi super domum et herbergamentum dicti Guillelmi de Campis, si in festo sancti Remigii dictos denarios defficeret reddere eisdem vel suo mandato annuatim, et etiam pro emenda defectus dicte solutionis. Ut autem dicta quitatio et confirmatio, cum garantizatione et defensione omni, predictorum perpetuam obtineat firmitatem, presentes litteras meas dedi dictis monachis, sigilli mei munimine roboratas. Et ego, Aalicia, uxor dicti Guillelmi, domini de Campis, ad petitionem ipsius, ut nichil omnino in

predictis, ratione alicujus rei vel dotalitii, valeam de cetero reclamare, presentibus litteris sigillum meum apponere dignum duxi Actum anno Domini M° CC° L° sexto.